



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio VI. De modo assumptionis quantum ad ordinem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO VI.

De modo assumptionis quantum ad ordinem.

ARTICVLVS I.

*Virum Filius hominis assumpserit carnem mediante animâ?*Resp. affir.
Aug.
Damasce.

FIRMAT.

I.

6. Synod.

Alius sensus resolutionis.

Notandum hanc locutionem habere fundamentum in Augustino lib. de agone Christiano cap. 18. & Damasceno lib. 3. de fide cap. 6. per quam nihil aliud designatur, quam quod Filius Dei non assumpserit carnem propter se, ibi sistendo, sed tanquam animæ instrumentum, in quo anima habeat naturalem statum & operationem. Nam erat minus conueniens ut caro propter se solam assumeretur. Hoc modo intellecta propositio est de fide. Habetur in 6. Synodo actione vltima in edicto Constantini, & apud Patres citatos & alios.

Aduerte ex S. Tho. alio etiam sensu dici posse carnem assumptam mediante anima, scilicet ordine dignitatis, quia anima est media quoad perfectionem inter personam Verbi & corpus. His tamen non obstantibus certum est carnem assumptam esse immediatè à Verbo, & ab eodem terminatam, ita ut etiam in triduo mortis remanserit illi immediatè vnita.

ARTICVLVS II.

Virum Dei Filius assumpserit animam mediante spiritu seu mente?

Resp. affir.

Sensus D.

Tho.

2.

AFFIRMAT, quod etiam fundamentum habet in August. & Damasc. præcedenti art. citatis.

Nihil autem aliud vult S. Tho. quàm Filium Dei non assumpsisse animam præcisè propter operationes sensitivas, sed propter rationales, cum eam assumpserit ut nos per eius operationes redimeret; unde non vult duplicem in Christo animam reperiri, vel mentem distinguere ab animâ, sed solum quod anima considerata ut mens & ut principium operationum intellectualium sit ratio cui illa ipsa anima sit assumpta ut est principium sensuum, non verò è contrâ, sicut superiori articulo dictum est, quod anima sit ratio ob quam caro est assumpta, non verò è contrâ.

ARTICVLVS III.

Virum anima à Dei Filio prius fuerit assumpta quam caro?

3.

Error Orig.

INTELLIGIT de prioritate temporis, quaerens num prius tempore seu duratione anima fuerit vnita à Verbo quàm caro. Vbi Notandum Origenem lib. 2. peri archon seu de principijs cap. 6. docere Christi animam ab initio creaturæ fuisse Verbo indissolubiliter vnitam, & tandem post aliquot annorum millia tempore diuinitus disposito fuisse vnitam carni. Quod tradidit ex illo principio, quo alibi censuit omnes animas ab initio mundi esse productas.

Verum S. Tho. hic contrarium tradit, scilicet non prius tempore assumptam fuisse quàm carnem; quod est de fide. Patet ex 6. synodo generali actione 11. in oratione Sophronij, quæ approbatur à toto Concilio actione 13. Patet etiam ex epist. 11. Leonis ad Iulianum. Indicat etiam Damasc. lib. 3. de fide cap. 2.

Ratio est quod anima rationalis, quæ naturâ suâ est forma corporis humani, postulet non prius produci, quàm possit corpus informare; unde non produci prius tempore, quàm corpus sit aptè dispositum, ut ab anima informetur. Non subest autem ratio ob quam dicatur secus factum in anima Christi; & per consequens Christi anima non fuit prius tempore producta, quàm eius corpori vnita, & quod inde sequitur, non fuit prius tempore assumpta quàm caro, quæ statim ab initio suæ productionis fuit assumpta, ut ex Patribus citatis constat.

Aduerte loquendo de prioritate naturæ, quantum ad ordinem intentionis, animam prius fuisse assumptam quàm carnem, ut patet ex dictis art. 1. ordine vero executionis corpus prius naturâ fuisse assumptum quàm animam, cum ea non creetur nisi in corpore perfectè disposito, ita ut corpus prius naturâ debeat esse perfectè dispositum, quàm producat anima: non potest autem censi perfectè dispositum nisi subsistat substantia propria, vel aliena. igitur quantum ad executionem corpus prius naturâ fuit assumptum quàm anima.

ARTICVLVS IV.

Virum caro Christi fuerit prius à Verbo assumpta quàm anima vnita?

5.

HIC etiam articulus intelligitur de prioritate temporis. ad quem Respondet negatiuè, quod patet ex actione 11. sextæ synodi generalis, ex Damasc. superiori articulo citato, ex Fulgentio de fide ad Petrum cap. 18.

Ratio est quod caro non fuerit assumpta nisi propter animam, ut patet ex art. 1. igitur non debuit assumi antequàm posset esse conueniens animæ instrumentum. non est autem conueniens instrumentum antequàm sit perfectè disposita ut anima vnatur.

ARTICVLVS V.

Virum tota humana natura sit assumpta mediantibus partibus?

RESPONDET 1. ordine intentionis partes assumptas esse mediante naturâ humanâ. patet ex eo quod ordo intentionis spectetur secundum ordinem finis, secundum quem natura humana prius assumpta est, cum partes non sint assumptæ nisi ut conflarent vnâ naturam & inde resultaret homo perfectus, ergo secundum ordinem intentionis natura humana prius assumpta est quàm partes.

Respondet 2. ordine executionis partes prius naturâ assumptas esse. Circa hos articulos occurrunt aliquot dubia. itaque.

DV BIVM

DV BIV M I.

Virum in incarnatione plures vniones interceserint, quibus natura humana Verbo fuerit vnita?

Tres sunt hac de re sententiae. 1. est vnica vnionem intercessisse, scilicet totius humanitatis cum Verbo; quae vnio sit eque immediatè in corpore & in anima. eam ponunt aliqui diuifibilem. Hanc sententiam quoad substantiam tenet Scotus dist. 2. q. 2. §. *ideq. quantum*. Duran. eadem dist. q. 2. Vasquez disp. 39. cap. 3. Lorca disp. 33. num. 13. & alij.

2. Sententia asserit duas vniones interuenire, vniam animae, alteram corporis. Tenet Abulenſis paradoxo 2. cap. 4. Altif. lib. 3. summa tract. 1. cap. 1. q. 2. eidem sententiae videtur fauere Caiet. praesenti quaestione circa articulum 5. quatenus censet materiam, similiter & animam propriam vnione Verbo vnitas, & nullius alterius meminisse.

3. Censet intercessisse duas vniones quas ponit praecedens opinio, & addit insuper tertiam, scilicet totius humanitatis cum Verbo. ita Suarez disp. 17. sect. 5. §. *secundo modo intelligi* & seqq. Albertinus tomo 1. q. 9. circa nonum corollarium.

Notandum hanc sententiarum diuersitatem provenire ex eo quod aliqui existimant vniam in homine esse substantiam, quae sit immediatè totius, & secundariò tantum partium. quia putant repugnare quod partes sibi mutuo vnita & existentes in toto retineant propriam substantiam quam habebant separatae, atque adeò animam rationalem (quae alioquin separata propriam habet substantiam) non habere partialem substantiam distinctam à substantia corporis, sed substantiam esse immediatè ipsius totius: alij verò existimant partes quae habent substantiam, illam in toto retinere, quae sufficiens dicatur totius quatenus illa substantia est partium vnitarum, nec aliam superaddendam censent: alij denique censent aliam superaddendam, per quam ipsum totum censetur immediatè subsistere, & non tantum remotè ratione partium.

Dico 1. nō videtur intercessisse tertia vnio quam assignat postrema sententia. Prob. iuxta illam sententiam dicendum foret quod partes naturae humanae bis fuissent assumptae etiam immediatè, cum primo fuerit vnita singulae sua vnione peculiari, vt supponitur, deinde verò vnione totius; nam tertia illa vnio non potest dici totius iuxta illam sententiam nisi in re ipsa immediatè afficiat vtramque partem, & singulas Verbo vnias, quod videtur inconueniens. Conf. illa vnio eundem planè haberet effectum formalem primarium cum alijs vnionibus, scilicet facere vt anima & corpus Verbo inexistant; ergo frustra ponitur.

Dices non habituram, quia per substantias priores partes etiam seorsim inexistunt Verbo, per tertiam non nisi coniunctae, ita vt si separentur, pereat illa vnio. Adde per tertiam ipsam humanitatem primariò inexistere Verbo, & ab eo personari.

Resp. quod inexistant coniunctae vel separatae, non ponere diuersitatem effectus formalis quantum est ex parte vnionis cum Verbo formaliter loquendo, sed solum diuersitatem status in ipsis rebus vnitis aliunde prouenientem quam ab ipsa

vnione cum Verbo. neque enim partes formaliter & praecise loquendo habent ab vlla vnione cum Verbo quod sibi intucem vniantur, sed aliunde.

Ad id quod dicitur per tertiam vnionem humanitatem primariò inexistere Verbo. Resp. id solum deferuire ad modum denominandi, non tamen inducere veram & realem diuersitatem in re ipsa.

Dico 2. videtur probabilius duas vniones intercedere, prout ponit 2. sententia. sequitur ex eo quod dub. 3. circa art. 3. superioris quaest. petitione 6. existimauerimus substantiam in homine non esse simplicem sed compositam ex substantia materiae & animae rationalis, & quod haec partes etiam in toto suam retineant substantiam, quam proinde Verbum suppleuit, & singulis partibus est vnium vnione illis proportionata.

Prob. 1. ex Patribus, qui ponunt in Christo tres substantias, deitatem, animam & carnem, vt Augustin. lib. 13. de Trinitate cap. 17. Concilium Toletanum II. in confessione fidei. Item ex Patribus & Concilijs, qui tradunt animam & carnem assumptam, qui videntur velle vnumquodque illorum immediatè assumptum esse & vnione sibi peculiari vnium.

Nec obstat quod similiter saepe dicatur natura humana assumpta; quia illa commodè dici potest assumpta mediantibus partibus, & ex eo quod partes non fuerint in re ipsa assumptae vna sine altera, nec vllò tempore praecesserit vnio partium humanitatem quae dicatur assumpta, quia partes inter se vnitae reipsa sunt assumptae.

Dices eadem ratione dici poterit partes assumptae ratione humanitatis assumptae. igitur ex authoritatibus nihil potest solidè concludi.

Resp. negando consequ. licet enim ordine intentionis primò assumpta sit humanitas, tamen sententiae Patrum in proprietate verborum acceptae sonant quod singulae partes assumptae sint, & quidem vnione cuique peculiari & propria, quae remanserit dissoluta Christi humanitate.

Hinc probari potest secundò conclusio. nisi dicamus singulas partes vnitas Verbo vnione sibi propria, necessariò concedendum erit Verbum dimisisse quod semel assumpsit, idque ex integro & formaliter, contra commune axioma theologorum desumptum ex Damasc. quod probatur, quia certum est in triduo mortis Verbum non remansisse vnium humanitati, ad quam tamen iuxta alios propriè terminata est vnio Verbi, & proinde non tantum materialiter & quoad aliquid, sed formaliter & quoad id quod primariò in re ipsa assumptum est, perijt vnio.

Tertiò si non intercesserint plures vniones, vna materia, altera animae rationalis, sed vnica iuxta primam sententiam, ea non potest contineri spiritualis, cum debeat inesse materiae, quae saepe naturaliter non est capax affectionis spiritualis; nec videtur posse esse corporalis & materialis, quia anima rationalis spiritualis non videtur etiam naturaliter capax affectionis materialis; deberet autem esse vel materialis vel spiritualis, cum vnica vnio numero, & quidem simplex non possit esse partim materialis, partim spiritualis. ergo. maior pro 2. parte prob. res spiritualis non maiorem habet proportionem & aptitudinem, vt possit naturaliter recipere affectionem materiale quam materialis vt recipiat affectionem spirituale. porro hic non videtur recurrendum ad miraculum.

Scio varios sentire eandem numero visionem corporalem

9.
Concl. 2.
Admittuntur duae vniones.

Prob. 1. ex Patribus & Concilio.
Aug. Conf. Tol. II.

Obiectioni occurritur.

Replica.

Resp.

10.

Prob. 2.

Verbum nunquam dimisit quod semel assumpsit ex Damasc.

11.

Prob. 3.
Impugnatio vnicae vnionem.

Vnica vnio numero nō potest esse partim materialis, partim spiritualis.

corporalem posse inherere partim corpori, partim potentiae visivae, quam in homine constituunt spirituales, sed puto id eandem parti difficultatem, nec hactenus audiui qui eam bene explicuerit.

Confir, ex incommo-
dis.

12.

In triduo
mortis pro-
duci de-
buerunt
duae novae
viones
quae in re-
surrectione
perierunt.

Conf. si fuerit una & eadem simplex unio in anima & corpore, ea in triduo mortis corrupta est, quod ut paulo ante dixi est inconueniens. 2. Cum remanserint partes unitae, debuerunt duae viones produci, & quidem in anima videtur producta unio spiritualis. rursum in resurrectione debuerunt illae viones partiales corrumpi, & noua materialis produci, quae sit immediatè totius humanitatis; quae omnia videntur dicta sine necessitate, solum ad stabilendam illam unicam assumptionem totius humanitatis, cum tamen res videatur commodè explicari possit duabus unionibus & nullà alià superadditā vel solā constitutā, quia dicitur quod in triduo remanserint singulae viones, & quod in resurrectione nullā novā unione ad Verbum accedente natura humana sit reunita Verbo, quia in resurrectione partes naturae humanae sunt unitae inter se, & illae inter se unitae etiam Verbo sunt unitae ratione antiquae unionis.

Ratio con-
clusionis a
priori.

13.

Unio ani-
mae & cor-
poris non
vnitur Ver-
bo imme-
diatè.

Ratio a priori est quam dub. 3. citato attulimus, quod nimirum natura humana non videatur habere aliam propriam substantiam quam substantiam animae & corporis vnitorum, igitur Verbum supplet propriam substantiam humanitatis Christi, non debuit aliud terminare & sustentare quam animam & corpus unita; igitur in Incarnatione inuenitur duplex unio, scilicet illarum partium, & nulla alia. anteced. prob. natura humana nihil dicit aliud reale praeter animam & corpus earumque unionem, quae unio solum est modus, qui non terminatur immediatè substantiā sed mediantibus partibus quas vnit. hoc modo in Christo inuenitur anima & corpus, quae singulae vnuntur Verbo, & per eius substantiam terminantur; inuenitur etiam unio eorundem inter se, quae unio non vnitur per se immediatè Verbo sed tantum mediatè, quatenus vnuntur ea quibus inest ipsa unio, & hoc modo humanitas sufficiens dici potest Verbo assumpta, quia nimirum assumptae sunt partes unitae.

14.

Obiectio i.

Resp.
Humani-
tas est im-
mediatè as-
sumpta.

Instatur
contra.

Solutur.

Dices i. hac ratione humanitas non potest dici immediatè assumpta, quod est contra communem doctorum sententiam. Resp. negando assumptum, quia humanitas ut dictum est non differt à partibus unitis, ergo si illae unitae sunt immediatè assumptae, humanitas debet dici immediatè assumpta, id est, non mediante aliquo ab ea distincto, tanquam communi vinculo.

Contra humanitas praeter partes includit earum unionem, quae iuxta superius dicta non est immediatè assumpta, ergo iuxta dicta non sufficiens explicatur quomodo natura humana sit immediatè assumpta.

Resp. neg. conseq. quia totum reale quod dicit humanitas assumptum est, & immediatè quidem unitum, licet modus quem superaddit non sit immediatè assumptus. & certè id in omni sententia videtur debere asseri, nam licet constituatur una simplex substantia in homine, vel sola vel superaddita partium substantiis, non videtur posse dici quod illa immediatè terminet unionem partium inter se, & illi suo modo inest. quis enim dicat modum substantiae inesse alteri modo? illum immediatè afficere? si modus ille unionis partium non possit immediatè affici substantiā, sed solum mediantibus partibus quas vnit inter se, & tamen eo

non obstante tota natura dicitur subsistere, potest etiam dici tota assumi etiam immediatè, licet ille modus non assumatur immediatè utpote inassumptibilis immediatè.

15.

Dices 2. substantia humanitatis est quaedam totalis substantia, substantiae verò animae & corporis sunt tantum partiales; & proinde diuina substantia eas supplet tantum supplet vices partialium substantiarum. igitur requiritur alia realis unio cum Verbo.

Resp. ad anteced. substantiam humanitatis esse quidem substantiam totalem, non tamen planè distinctam à substantiis partium, sed esse ipsamet partiales substantias inter se suo modo unitas, eo ipso quo partes subsistentes inter se vnuntur: nam eo quod anima & corpus vnuntur, partiales eorundem substantiae censentur vniri, & proinde constare vnā totalem substantiam, consimili modo in proposito diuina substantia terminans vtramque partem unitam, censetur esse substantia totius humanitatis; & viones partium cum Verbo, quae censentur partiales consideratè praecise vt sunt in suis terminis, si spectentur quatenus vnunt cum Verbo ea quae inter se substantialiter vnuntur, iam sunt una totalis unio, quia ipsamet inexistitiae seu modi unionis cum Verbo censetur inter se vniri ratione partium, quae inter se vnite vnuntur Verbo.

16.

Dices 3. natura humana in triduo mortis non mansit unita Verbo, cum tamen partes manserint eidem unitae; ergo alia est unio humanitatis, alia partium.

Resp. neg. conseq. si consequens ita intelligatur quod sit alia quam partium unitarum; quamuis enim haec nihil superaddat per ordinē ad Verbum, requirit tamen unionem partium inter se, vt humanitas dicatur unita seu assumpta.

Resp.

D V B I V M II.

Virum humanitas prius naturā sit assumpta quam eius partes?

17.

NEGAT Dur. dist. 2. q. 2. cuius fundamentum est, quod sit vnica assumptio, & proinde ex parte illius nullus ordo esse possit, neque ex parte rerum assumptarum; nam inter partes quae assumuntur vt unitae & ipsam naturam humanam non est realis ordo, cum sint planè idem. Illud ipsum videtur dicendum iuxta sententiam quam secuti sumus dubio praecedenti.

Negat Dur.

Verum Doctores communissimè aliquem ordinem agnoscunt, iuxta quorum sententiam

Resp. licet agendo de completa & totali assumptione non videatur ordo debere constitui, si tamen partes ipsae inter se considerentur, & consideretur assumptio in genere prout comprehendit completam & incompletam, potest ordo inueniri, nam licet partes unitae sint assumptae, tamen partialis assumptio cuiusque distinguitur ab assumptione alterius; & ita ex eo capite potest inueniri sufficiens fundamentum ordinis, tum partium inter se, tum singularum partium respectu humanitatis.

Responsio Auditoris.

Quomodo
possit esse
ordo in as-
sumptione.

18.

Vnde vterius dico iuxta ordinem intentionis humanitatem prius naturā assumptam esse quam partes, cum haec non sint assumptae propter se, sed vt naturam integram constarent, & perfectus homo resularet. ex quo euidenter sequitur secundum ordinem

Ordine in-
tentionis
humanitas
prius as-
sumpta
quam par-

ordinem intentionis humanitatem prius naturā assumptam. Si spectetur ordo executionis, partes prius naturā sunt assumptae.

D V B I V M III.

Virum anima & caro prius naturā fuerint à Verbo assumpta quā inter se vnita?

NEC AT Scotus dist. 2. q. 2. §. ideo quantum, sentiens animam prius unitam corpori quā Verbo. Vasquez disp. 37. cap. 8. coniuncto cum 10. negat quoad vtrumque: videri etiam potest Dur. dubio superiori citatus.

Verum conformiter ad ea quae in Superioribus dicta sunt

Resp. 1. quoad ordinem intentionis partes prius naturā fuisse inter se unitas quā Verbo. patet, quia idcirco fuerunt unitae Verbo ut resisteret persona & compositum subsistens in natura rationali, ita ut id fuerit finis proximus unionis partium cum Verbo: quod autem se habet per modum finis respectu alterius, illud praecedit naturā secundum ordinem intentionis; ergo, clarum autem est non potuisse resultare personam nisi partes inter se vni-
rentur. & hoc sensu intelligitur quod habet S. Thom. art. 5. ad 3. si solutio conferatur cum argu-
mento & doctrina corporis articuli, & art. 4. ad 3.

Resp. 2. ordine executionis singulas partes prius naturā Verbo unitas quā inter se. Tenet Suarez disput. 17. sect. 1. & 2. conclus. 2. pro qua plures
citant.

Prob. diuina subsistentia quae suppleuit propriam eodem instanti naturā terminauit partes quo terminasset propria subsistentia, atqui propria subsistentia cuiusque partis prius naturā terminasset quā illa fuisset alteri coniuncta. v.g. iuxta sententiam quam secuti sumus, quod tum anima rationalis, tum materia prima suam habeant subsistentiam, quā etiam retineant dum sunt coniuncta, subsistentia animae rationalis prius naturā illam censetur terminare quā anima coniungatur corpori; ergo anima prius naturā coniungitur Verbo quā corpori & vicissim corpus prius coniungitur Verbo quā animae. minor prob. partes non vniuntur inter se antequam habeant suam intrinsecam perfectionem, adeo ut illa prius naturā censetur secundum naturalem rerum conditionem competere partibus, quā illae inter se copulantur. atqui subsistentia est intrinseca perfectio cuiusque rei in se, & sine ordine ad aliud.

Confirm. 1. subsistentia respectu eorum quibus competit intimè sequitur rei existentiam; igitur res subsistens prius naturā censetur terminari suā subsistentia quā alteri vniri.

Confirm. 2. subsistentia est vltimum rei complementum, sine quo res etiam in ratione partis non potest censeri perfecta.

Confirm. 3. anima rationalis aliā actione creatur, & aliā vniri corpori, ita ut actio creatiua sit prior naturā; atqui actio creatiua est subsistentium, ita ut nisi impediatur, terminetur ad rem subsistentem; igitur prius nata est subsistere quā vniri Verbo; autem in assumptione partium quoad executionem eum seruauit ordinem, quem postulat earum conditio, ut pote ipsa assumptione im-

pediens propriam subsistentiam rerum assumptarum.

Obijcies quod caro non est assumpta nisi ut humana; ergo prius naturā informata anima rationali, cum sine illa non possit censeri humana.

Resp. distinguendo anteced. si enim intelligatur quod non sit assumpta nisi ut humana, id est, completè apta ad animam rationalem recipiendam, concedo anteced. & nego consequent. quia caro prius naturā habet illam dispositionem quā vnatur animae, & pro illo statu aptè etiam dicitur humana tanquam pars condistincta ab anima. Si verò sensus antecedentis sit quod non sit assumpta nisi ut humana non solum per proximam coaptationem ad animam, & habitudinem ad illam, sed per unionem cum illa, & viuificationem ab anima receptam; nego antecedens intellectum de ordine naturae, non verò de duratione realis; quāuis enim non fuerit vnita Verbo vilo durationis instanti antequam re ipsa esset vnita animae, & ab illa informata, prius tamen naturā secundum ordinem executionis est vnita quā informata animae, pro quo instanti potuit dici humana; id est vltimò disposita ad formam hominis recipiendam, non verò humana, id est informata animae, sed tendens ad animam rationalem in sequenti instanti naturae recipiendam.

D V B I V M IV.

Virum partes prius naturā assumantur à Verbo, quā censeantur suis accidentibus informari?

SUPPONO 1. accidentia quae censentur competere vel aduenire rei existenti eodem tempore tanquam illius proprietates, posterius naturā competere partibus, quā ex censentur assumptae.

Prob. ex eo quod vnaquaeque res prius naturā censetur perfectè constituta quoad sua intrinseca, quā recipere huiusmodi accidentia & ornamenta, v.g. aqua prius naturā censetur habere vltimum complementum substantiale, quā recipere frigus.

Confirm. quemadmodum in agente secundum naturalem rerum cursum subsistentia praexigitur actioni, ita eadem praexigitur passioni in patiente. igitur Verbum supplens propriam subsistentiam prius naturā debet vniri partibus quā illae censentur aliquas qualitates, vel alia accidentia recipere.

Suppono 2. materiam subiaccisse varijs accidentibus prius naturā, imò & tempore quā à Verbo assumeretur, cum non fuerit vnita Verbo antequam esset perfectè disposita ad receptionem animae. prius autem tempore extitit in rerum natura, quā ita perfectè disponderetur. his suppositis

Quaestio est an prius naturā censetur perfectè disposita quā vnita Verbo. ad quam

Resp. ordine executionis videri prius naturā fuisse perfectè dispositam.

Prob. i. non fuit vnita Verbo nisi ut idoneum animae instrumentum. igitur id per quod redditur idoneum instrumentum prius naturā ei competit quā competat subsistentia Verbi, seu quā vnatur Verbo. id verò est vltima dispositio.

22.

Resp.

23.

Quaedam praemittuntur.

Sensus dubij.

24.

Auctoritas

respons.

Ordine

executionis

materiam

fuisse prius

pc. de

dispositam.

Prob.

2. Prius

Prob. 2.

2. Prius naturā fuit corpus humanum, id est perfectē organizatum ad animā receptionē, quā vniretur Verbo; atqui non fuit tale antequam censeretur perfectē dispositum, ergo prius naturā censeretur habuisse vltimā dispositionem quā fuerit Verbo vnitum.

Obiectio.

Dices vt sit perfectē dispositum debet habere substantiam; igitur prius naturā substituit, quā censeretur vltimo & completē dispositum.

Resp. disting.

Resp. disting. anteced. vel enim intelligitur de perfecta dispositione accidentali, de qua in resolutione agimus; & hoc sensu nego anteced. vel intelligitur de qualicunque vltima dispositione, quo sensu concedo. dico tamen eo non obstante ad hoc vt corpus humanum censeretur perfectē dispositum & subsistere vt tale in ordine ad generationem, requirere secundum existentiam naturalem vltimā dispositionem accidentalem. vbi,

25.

Sensus resolutionis dat.

Notandum nos non velle substantiam materiae perire, & mutari pro dispositionum diuersitate, sed solum quod eadem comparata ad diuersa censeretur prius vel posterius competere. v. g. substantia materia comparata cum vltimis dispositionibus quibus preparatur ad receptionem formae, censeretur posterius competere quā competant huiusmodi dispositiones, quia sine his non potest censi legitime preparata, nec potest censi subsistere vt pars idonea ad alterius partis receptionem. eadem substantia comparata cum iisdem accidentibus vel alijs, quatenus censeretur competere corpori vnito animae tanquam affectiones compositi, prius naturā censeretur competere.

ARTICVLVS VI.

*Virum humana natura sit assumpta
mediante gratia?*

Resp.

Non est assumpta mediante gratia habituali sed mediante gratuitā Dei voluntate.

Hic articulus explicatus est q. 2. art. 10. vbi eadem doctrina a S. Thom. traditur, scilicet non esse assumptam mediante gratia habituali, assumptam tamen mediante gratuitā Dei voluntate.

QVÆSTIO. VII.

*De gratia Christi prout est
quidam singularis homo.*

EXPLICATA ratione & essentia vniuersalis hypostatica, D. Tho. incipit explicare quasdam proprietates, quae ratione illius Christo competunt, tum ex parte Verbi, tum ex parte naturae assumptae.

ARTICVLVS I.

*Virum in anima Christi fuerit aliqua
gratia habitualis?*

Resp. affir.

RESPONDET necessario ponendam in Christo gratiam habitualem. probat tribus rationibus.

1. Quāto aliquod receptum magis est coniunctum causae influenti, tantō magis participat de

ipsius influentia; cū ergo anima Christi fuerit Verbo diuino coniunctissima, fuit maximē congruum vt ab eo gratiae habitualis influxum reciperet.

2. Decebat animam Christi Deum attingere per cognitionem & amorem, ad hoc autem necesse est naturam humanam eleuari per gratiam.

3. Gratia debebat ab eo in nos deriuari; ergo oportebat vt anima Christi praeclara esset gratia.

DVBIUM I.

*Virum praecisa gratia habituali humanitas
Christi fuerit sancta?*

NEGANT Paludanus in 3. dist. 15. q. 2. in 4. Dur. sententia, conclusione 1. Dur. dist. 12. q. 2. num. 8. & alij.

Affirmant alij, quā sententiam licet antiqui non ita in terminis expresse sint, multi tamen recentiores expresse tradunt, & censent esse communem Patrum existimantium animam & corpus Christi sanctificari per gratiam vniōis.

Hae sententia est multo verior, quia plurimi Patres quos citant Suarez disput. 18. sect. 1. & Vasquez disput. 41. cap. 3. non incommode possunt in hunc sensum accipi, vt scilicet ipsa natura humana in Christo sit sancta propter vniōem sui ad Verbum & naturam diuinā. & expresse id docent Hilarius & Chrysostomus, quos refert Toletus ad illa verba Ioannis 10. quem Pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis quia blasphematis, ita vt iuxta illos Patres Christus velit se sanctificatum secundum quod homo, quia per vniōem humanitatis cum Verbo ipsa humanitas summē fuit à Patre sanctificata.

Prob. vltimus conclusio. constat iuxta Patres Christi opera fuisse condigna generi humano redimendo, & nullius purae creaturae opera habuisse huiusmodi condignitatem; ergo ea condignitas in Christi operibus non potuit provenire ab alio quo quod potest esse commune Christo cum alijs iustis, scilicet à gratia habituali, sed debet aliunde provenire: igitur etiam praecisa gratia habituali opera Christi sunt commensura redemptioni generis humani; atqui non possunt esse commensura nisi Christus operans sit sanctus non solum secundum diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem; ergo Christus secundum humanitatem fuit sanctus etiam praecisa gratia habituali.

Prob. 2. humanitas Christi praecisa omni gratia habituali seu accidentali est obiectum diuina dilectionis, & quidem talis vt sit Deo gratior quā omnes iusti simul sumpti. igitur praecisa ea gratia est sancta.

Conseq. prob. non potest esse gratior omnibus iustis, nisi sit illis sanctior, & proinde nisi habeat sanctitatem.

Confir. humanitas Christi etiam absque habituali gratia est consors diuinae naturae longē excellentiori modo quā vlla creatura rationalis, igitur est sancta.

Prob. 3. humanitas Christi per id praecipue est commendanda sancta, ratione cuius conuenit illi impeccabilitas, quae iuxta communem sententiam tribuitur Christo & eius humanitati, vt infra ostendetur. sed id cuius ratione Christo tribuitur impeccabilitas, non est gratia habitualis; igitur etiam ea praecisa Christus quia homo sanctus est.

Peters